

cupimus fore notum, quod dilecti nobis in Christo Heynricus de Gubyn praepositus Haynnensis et Syboto¹⁾, perpetuus ecclesiae nostrae vicarius saluti animarum suarum et incrementis ecclesiae nostrae salubriter intendentes tria talenta cum sex solidis usualium denariorum annui census sita in villa Meraschwitz^{a)}, quae a nobis in feudum tenuit discretus vir Petrus plebanus in Rythemicz²⁾^{b)} ad tempora vitae suae, iusto emptionis et venditionis titulo interveniente comparaverunt ad peragendos anniversarios infrascriptos. Siquidem in anniversario felicis recordationis Reynhardi quondam praepositi Budesinensis dominis canonicis in ecclesia nostra praesentibus unum talentum, perpetuis vero et temporalibus vicariis dimidium talentum praenominatorum denariorum debebit annis singulis ministrari. Post mortem vero praedicti Sybothonis vicarii in anniversario suo dominis canonicis praedictis unum talentum, perpetuis quoque et temporalibus vicariis dimidium talentum eorundem denariorum debebit similiter singulis annis ut praemittitur ministrari. Sex vero solidi residui cum altera dimidia sexagena ovorum et tribus pullis, qui sunt in eisdem bonis, debent amministratori praedictorum anniversariorum pro suo labore annis singulis derivari. Iidem quoque Heinricus praepositus et Sybotho vicarius praedicti postulantes humiliter, ut dicta bona et amministrationem eorum, de quibus et sicut praemissum est, praedictae nostrae ecclesiae ratificare, donare, appropriare et confirmare dignemur. Nos libera resignatione dictorum bonorum facta a dicto Petro plebano in Rythemicz²⁾ iustis petitionibus praedictorum³⁾ praepositi et vicarii favorabiliter annuentes, dicta bona et amministrationem praenotatam de bona voluntate et consensu capituli nostri ratificamus et ecclesiae nostrae praedictae donamus, appropriamus et appropriata in nomine dei in praesentibus confirmamus, decernentes dicta bona in toto ad ius et tuitionem ecclesiasticae libertatis perpetuis temporibus pertinere. In cuius rei testimonium sigillum nostrum et sigillum capituli nostri praesentibus sunt appensa. Nos quoque Waltherus praepositus, Conradus⁴⁾ de Strelis praepositus Wurzinensis gerens vices decani, totumque capitulum praedictae ecclesiae Misnensis dictam donationem, appropriationem et confirmationem ratificamus, ratum et gratum habentes, quae praemissa sunt. In quibus nostram voluntatem tribuimus et consensum, nostrum sigillum in evidentiam praemissorum praesentibus apponendo. Testes huius rei sunt Hermannus praepositus Budesinensis, Reynhardus de Vroburk ecclesiae Misnensis canonici, Thimo de Grunenrode plebanus in Blosewicz^{c)}, Nicolaus de Gana plebanus in Schylow⁵⁾, cum aliis pluribus fide dignis. Datum et actum anno domini millesimo CCC^o vicesimo sexto in crastino ascensionis domini.

Nach zwei Originalen im Stiftsarchiv zu Meissen; bei beiden hängen an Pergamentstreifen die wohl erhaltenen Siegel des Bischofs und des Capitels.

1) Hainensis et Sybotho B. 2) Richemitz B. 3) supradictorum B. 4) Conradus B. 5) Czilowe B.
a) Merschütz, Par. Zschaitz. b) Rittmitz, Eph. Leisnig. c) Blosswitz, Eph. Oschatz.